

Germania, 2o. Hfr. 2to.

De numis Romanorum
Instrumentalis.





GODOFREDVS DANIEL
4
HOFFMANN
ICTVS TVBINGENSIS
DE
NVMIS
ROMANORVM
FRVMENTARIIS

PAVCA QVÆDAM DISSERIT



2389

TVBINGAE

TYPIS FVESIANIS

GODORLEBVS DANIEL

HOFMANN


LEHRE DER MATHEMATIK

DE

RODOLPH VON

FRYDMANN

LEHRE DER MATHEMATIK



LEHRE DER

MATHEMATIK



Sunt inter *nummos* Romanorum, tam consulares, quam imperiales, omnis metalli & magnitudinis, quos jure meritoque *frumentarios* dixerim, quorumque memoriam, eo, quo frumenti inopia & copia omnium ferè studia & labores proxime occupaverat, tempore, non immerito renovaverim, sic veluti *restituendos*. Prætereo autem omnes illos nummos, qui generatim modo *largitionis* & *liberalitatis* cujusdam AUGUSTORUM testes sunt & monumenta publica, inde ab HADRIANO Imp. frequentia. Quamvis enim hi quoque *cornu copiae*, seu *Amalthea*, 1) quod tamen omnes virtutes divinæ, a Romanis cultæ, gerunt, imo duo subinde ejusmodi cornua, tesseræque nobis ostendant omnes, eam tamen potissimum numi illi designabant *liberalitatem*, L. II. III. & sic porro, usque ad VIII. 2) quæ paratam distribuebat pecuniam, cornu copiae ideo quoque nummis ex eo cadentibus repleto. Eam contra liberalitatem, quam ludis & spectaculis, populo gratissimis, exercebant ANTONINUS PIUS, COMMODUS, SEVERUS, ELAGABALUS, GORDIANUS III. nummi eorum *numi* - vel *magnificentiam* AUG. vocabant. Nec memorabo eos, qui *congiarii* 3) muneris, sive distributionis congiarum oleo, frumentove plenorum, memoria eusi fuerunt, libera jam republica, *Ædilibus* 4) præcipue solemnis,

1) De hujus origine vid. L. BEGERI *spicil. antiquit. & elegant.* pag. 44. 45. 53. Namque HORATIUS *Epist.* I. 12. in f.

Aurea fruges
Italiae pleno diffudit copia cornu.

2) In solius CARACALLÆ nummis VIII. ejusmodi *liberalitas* signatur.

3) IO. FOY VAILLANT *Histoire des congiaires*, marquez sur les medailles, in *Hist. de l'Acad. des belles lettres*, T. IV. p. 301—307.

4) DION. HALIC. L. VI. p. 411. LIV. L. V. c. 2. L. X. c. 11. L. XXX. c. 22. L. XXXI. c. 4. 50. L. 2. §. 32. 33. *de Orig. juris.* L. 13. *de accusat.*

lemnis, militum postea quoque *donativi*. Non laudabo pluribus liberalitatis & matrem & filiam, *abundantiam* & *ubertatem*, (*ubertatem* 5) vel & *veritatem*) 6) AUG. in nummis M. AURELII, TRAJANI DECII, ETRUSCILLÆ, HOSTILIANI, GALLIENI, QUINTILLI, TACITI, PROBI & CARI, figura muliebri stante, dextra cornu inversum, omnis generis vel *fruges* vel nummos effundens, sinistra cornu copiae, alibi caduceum vel crumenam tenente, repræsentatam. HELIOGABALI *abundantia* cornu copiae plenum nummis illis 7) effundit. 8) Propius huc spectant, in quibus *prudencia* & *providencia*, *providencia Aug. providencia Augg. providencia Cass. providencia senatus* 9) legitur, cujus præcipuam partem, ut in conservatione imperii orbis, ita præsertim quoque in *cura annonæ* consistere credebant Romani. 10) Nam & illi cornu copiae ostendunt, exemplo denariorum argenteorum TRAIANI & SEPTIMII SEVERI, cujus figura muliebris & cornu copiae & vel hastam, vel gubernaculum tenet globo terraqueo impositum. Ostendunt verò etiam hoc nomine variæ magnitudinis & anticæ (sive adversæ) nummi ALEXANDRI PII SEVERI, nec non TETRICI & NUMERIANI, feminam, dextra spicas tenentem & ante modium II) stantem, sicuti alias ANNONA pingitur. ANNONAM namque Augusti CERES DEA, agriculturæ inventrix & cultrix, generis humani

- 5) VAILLANT in Etruscilla & Hostiliano II, 339. 345. SPANHEM. II, 536. 537.
 6) LIEBE Gotha N. p. 265.
 7) Illis forsân, de quibus ABL LAMPRIDIVS in *Alex. Sev.* Cap. XXXIX.
 8) Inter numos Ducis Croii & Arschtani aureos, tab. 38. a VAILLANT explicatos.
 9) MEDIOB. p. 144. OISELIVS tab. 61. n. 2.
 10) Lectu hanc in rem dignum est progr. IVSTI CHRISTOPHORI BOEHMERI, de *providencia Augustorum* in veteribus quibusdam Romanorum numis ostensa, Helmst. 4. 1698. & 1717. ed. p. 7.
 11) Est autem *modius*, corona Serapidis, propria & usitata mensura frumenti, omniumque aridorum, quantum octo diebus ad unius hominis victum sufficit, librarum 18. vel 20. vel 100. librarum, ligneus, marmoreus, æneus. L. 9. C. de suscept. quæ est L. 21. C. Theodos. ej. tit. L. XII tit. 6. & L. 1. C. de conditis in publ. horr. Inde *certa modiatio tritici* in L. 16. C. de usuris.

ni conservatrix 12) tellus, corona spicea, modioque, aristis 13) vel spicis & papavere 14) repleto designat, qui modius sæpius & *Cerem* & *Annonam* solus repræsentat. Dicitur ideo Ceres in numis & lapidibus sæpius & proprie quidem *frugifera*, coliturque in primis a provinciis & urbibus Romanorum *frumentariis*, Siciliæ, Sardinia, Africa, 15) Asia & Græciæ, Ægypti præsertim, frumento abundantibus. Est illa ideo, in numis Græcorum & Romanorum longe frequentissima. Præsertim vero Augustarum, LVCILIAE, JULIAE PIÆ, FAVSTINÆ PII, FAVSTINÆ MARCI, CRISPINÆ, JULIAE TITI, numi illam nobis æque frequenter ac quidem vel Junonem, vel Vestam ob oculos fiunt, soli JULIAE PIÆ *frugiferam* dictam. Eos tamen ideo indistincte omnes huc referre, eisve accensere haud licet, quos proprie frumentarios, sive *frumentaria curæ & liberalitatis* numos memoriales dici posse & debere credo, in quibus nempe vel femina stans, vel salus, fortuna, felicitas, lætitia, hilaritas, vigilantia, vel spicas tenet, vel ex modio spicæ eminent, vel annona ipsa papaverem & spicas gestat. Hos tantum non omnes, vel dati & distributi ab Imp. populo *frumenti* 16), & magis minusve ordinariæ vel & extraordinariæ præbitionis cujusdam *annonæ*, largitionis & divisionis, vel ejus certe providentiæ & curæ memoriam servare persuasum habeo, qua Imp. Augg. caritatem & inopiam frumenti levare, maximopere sæpe studebant, prorsus laudabilis & principe dignissimæ. 17) Cum vero mihi nec de re, nec de jurisprudentia Roma-

A 3

ma-

- 12) IUL. CAR. SCHLÆGER de diis hominibusque servatoribus, ex numis & marmoribus, Helmst. 1737. §. VIII. p. 22. 23. LVD. GUIL. BALLHORN de diis veterum Σωτηρ. §. XI. p. 236. act. Soc. Lat. Jen.
- 13) L. 77. de V. S.
- 14) In quem, præsertim quoque e numis, Nor. 1713. commentatus est LÖCHNERVS.
- 15) Cujus frumentum bonum, optimumque occurrit in L. 50. §. 1. mand. & L. 74. 75. §. 2. de V. O.
- 16) Scilicet publici. Frumentum autem publicum tam fur, quam perjurus & adulter accipiunt, & sine delectu morum, quisquis incisis (*civis*) est, scripsit SENECA de *benef.* L. IV c. 28. Add. Id. de *brev. vitæ*, Cap. 18. 19. & *Ep.* 77.
- 17) De qua plura dabit cultissima IO. HE. BOECLERI *annonæ augg.* Arg. 1662. T II.

Ex.

manorum frumentaria generatim, nec de frumentariis illorum legibus & largitionibus, quas contra LIPSIVM in *El. L. IV. c. 8.* singulari commentario superiori jam seculo profecutus est v. CON-TARENVS, speciatim agere animus otiumve sit: hanc unam modo amoenitatem numismaticam e largissima nummariae totiusve antiquitatis penu decerpere liceat, quod in nummis Romanorum Imp. CLAVDII 18), GALBAE, VITELLII, VESPASIANI, TITI, DOMITIANI, CERES AVG. vel AVGVST. & in numis Imp. SEVERI atque PESCENNII *Ceres frugifera*, praesertim vero etiam ANNONA AVG. AVGG. AVGVST. & AVGVSTI in numis VESPASIANI, TITI, DOMITIANI, NERVÆ, HADRIANI, ANTONINI PII, SEPT. SEVERI, CARACALLÆ, MACRINI, ELAGABALI, ALEXANDRI SEV. PHILIPPI, GALLI, VALERIANI, GALLIENI, QUIETI, CLAVDII GOTHICI, CARI, quam saepissime, *Annona Cos.* in HADRIANI, ANTONINI & SEVERI, *Annona Imp.* in solius M. AVRELII, *Annona P. ont. M. ax.* in solius HADRIANI & COMMODI, *Annona Trib. pot.* in solius ANTONINI & COMMODI, *Annona* tantum in VESPASIANI & ANTONINI nummis, occurrat. Aerei cujusdam numi *antica* inscripta est ANTONINVS PIVS AVG. PON. TR. P. V. *postica* vero, Annona stans, dextra spicas, sinistra cornu copiae tenens, ad cujus pedes hinc prora navis, illinc congium spicis repletum, ANNONA AVGG. SÆCVLI FELICISSIMI 19) s. c. In numo aereo L. SEPT. SEV. PERT. IMP. III. ANNONA AVGVSTI CERES s. c. A. V. C. 946. A. C. 193. figura muliebris est, sinistra cornu copiae tenens, stans coram alia figura muliebri velata sedente, dextra pateram super aram ignitam, sinistra tæ-

dam,
Ex. 16. p. 512. ejusque historiam quoad Imp. R. supplebit traditam in Diss. DIETERICI SCHAGHEN Ultrajecti de re frum. 1709. ed. & *thesauro* Diss. Oelrichsiano Vol. II. n. 13. inserta, liberæ modo reipubl. dicata.

18) ANGELONI p. 49. OISELIVS tab. 2. & 51. PETRVSIVS VIII, tab. 17. Numophyl. *Schulz.* p. 202. *Schulz. Münztab.* II, 118. Conf. de Claudio SVETONIVS cap. 18. & 20. ACTA APOSTOL. XI, 28.

19) Eandem fere *saeculi felicitatem* in numo SEVERI PII AVG. vide in MORELLII specim. rei nummariae, p. 66. & conf. L. BEGERI spicil. antiquitat. p. 166.

dam, dimidia navi intermedia. 20) NERO etiam CLAVDIVS CAESAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. similes edidit numos inscriptos ANNONA AVGVSTI CERES S. C. 21) typo fortunæ stantis, Ceresis sedentis, tædæ & rostri navis, A. V. C. 807. A. C. 54. insignitos. 22) ANNONAM suam AETERNAM dixit L. SEPT. SEVERVS. A. V. C. 946. & A. C. 193. 23) Vbi figura ejus sedens fructus porrigit, hastam puram tenens. C. PATINI Thesaurus numum NERVÆ æreum continet, vas, sive congium, sex spicis & papavere repletum inscribentem PLEBEI VRBANÆ FRUMENTO CONSTITVTO S. C. MEDIOBARBUS duos alios similes addidit, ejusdem inscriptionis, ad annos 849. & 850. V. C. sive C. N. 96. & 97. referendos. Hujus etiam liberalitatis (frumentariæ) NERVÆ solus index nummus hic (scribit MEDIOBARBUS p. 145.) quis enim historicorum meminit, a NERVA plebi urbanæ frumentum constitutum? Nullus, & tamen memoria dignum, utique extabat, non enim unicum tantum liberalitatem indicat nummus, sed certam & stabilem frumenti divisionem factam ex inscriptione colligimus., 24) CHRISTIANVS contra ADOLPHVS KLOTZ 25) extraordinariam quandam annonæ largitionem numo isto indicari credit. In alio quodam NERVÆ numo aureo sedet SALVS PVBLICA, dextra spicas tenens. Cum scilicet frumenti penuria DOMITIANI tempore plurimum populo R. incommodum attulisset, NERVA vix imperium suscepit.

20) VAILLANT. T. I. f. 109.

21) MEDIOB. p. 90.

22) Ad designandam NERONIS in procuranda annona diligentiam a TACITO in *L. Annal.* XV. frumenti pretio usque ad ternos numos minuto, notatam. VAILL. in numis æreis maximi moduli Abb. de Camps p. 9. BEGERVS in Arschoranis tab. VI. OISELXVS t. 3. & 51. CONSTANTIN. LANDVS p. 69. PEDRVSVS VI, tab. 7. ANGELONI p. 61. AVGVSTINVS dial. 2. p. 76. SCHVLZ. *Münzcabin.* II, 21.

23) MEDIOB. p. 168.

24) Congiarii ejus statim post delatum imperium a Cos. II. distributi nullus quoque meminit auctorum, at nummus tamen, monente EZ. SPANHEMIO *Diff.* IX. p. 819.

fulcepit, cum ex omnibus provinciis frumentum Romam asportari iussit, unde salus publ. in annonæ procuratione, ejusque abundantia consistens, hoc typo significabatur. 26) TRAIANVS in postica numi cujusdam nil nisi *Cof. II. & sex spicarum fasciculum posuit, Alexandria vivo adhuc NERVA cusi.* 27) Ejus quoque est numus inscriptus *ABVNDANTIA PERPETVA P. P. S. C.* in quo congius cum spicis & papavere, ad quem adludere videtur *PLINIVS e. 29. 30. 31.* 28) Nec tacenda sunt *ALIMENTA ITALIE optimo huic principi Cof. V.* in variis numis adscripta. 29)

Inter ANTONINI PII numos, liberalitatis ejus præcones, huc omnino pertinent *LIBERALITAS AVGVSTI TERTIA & QVARTA* inscripti, adstante Imperatoris fellæ curuli ubertate, tesseram, 30) vel donativi, vel & frumentariam, una cum cornu copiae prætendente & cuidam finum pudenti aliquid inspergente, vel & cornu ipsum effundente. De hoc enim ANTONINO PIO *Iul. CAPITOLINVS, cap. VIII.* non solum quod congiarium populo dederit, militibusque donativum addiderit, sed & quod vini, olei & *tritici* penuriam per ærarii sui damna emendo & gratis populo dando sedaverit. Cum inopia aliquando Romam vexaret vehementer, anno nempe *V. C. 936. & 937. annonæ plurimum providit COMMODVS, classemque Africanam instituit, LAMPRIDIO teste, 31)* quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessarent. *Cap. XVII.* Hinc duos habemus hujus Imp. numos, quam maxime *frumentarios*, unum *PROVIDENTIÆ AVG.* dicatum, alterum tempus signantem, *P. M. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. III. P. R.* Hic, modium spicis & papavere plenum, is vero Imp. Herculis effigie sistit, pede in

26) VAILLANT. II. 119.

27) Ibid. pag. 123.

28) Vid. SPANHEM. II. 535. 536.

29) MEDIOB. p. 152. 157. 160. 163. KLOTZ. Opusc. numm. p. 198. nota w)

30) Cujus *Idus* in L. 49. §. 1. & 87. pr. de leg. II. meminit add. L. 52. §. 1. de indic. & Nov. 88. c. 2.

31) Qui tamen *cap. XIII.* non dissimulat sæculum illud aureum Commodianum, yilitatem proponendo, majorem penuriam fecisse.

dextro navis proræ imposito, læva erecta clavam tenentem, cui Alexandria 32) cum proboscide in capite, dextra spicas subministrat, sinistra filtrum gerens. 33) Alium ejusdem Imperatoris, & victoriam de Germanis Ducisque reportatam & annonam *navibus* procuratam, simul laudantem numum VAILLANT 34) recenset. Procuratæ & feliciter quidem procuratæ annonæ laudem tulit *Corn. SALONINA AVG. Græcis Chryfogone, marito suo GALLIENO bello contra barbaros & tyrannos detento. Nam & in ejus numis Deæ Segetiæ, quæ Ceres fuit, templum, ab illa constructum, 35) reperitur, &, quod magis, quodque huic Augustæ proprium videtur, ANNONA AVG. cum spicis, cornu copiæ & modio tritici pleno, in aureo ejus numo apud 36) eundem exprimitur. Dantur vero etiam numi frumentarii, sine ulla vel Cereris, vel Annonæ, vel simili inscriptione, veluti ANTONINI PII COS. III. ubi Imp. sedens coronatur a Victoria, cui Annona stolata stans spicas eum in sinem porrigit, 37) & M. AVRELIJ Armeniaci, ubi sine omni epigraphe mulier frumentum e Ccopiæ in modium transfundit, proraque navis visitur. 38) HADRIANVS Alexandriam annonæ habitu sex spicis & modio nec non uva ornato sistit. 39) Spicas quoque læva gerit DEVS FRUGIFER & BONVS EVENTVS, numina rustica; in numis *Siriboniæ* 40) gentis & TRAIANI 41) SEPT. SEVERI & PESCENNII Nigri. 42)*

Inprimis vero notari meretur, quod primorum Imperatorum, IVLII nempe CÆSARIS & OCTAVII AVGVSTI, numorum nulli sint *frumentarii*, cum tamen IS, qui nullum largitionis genus in quemquam omisit, *frumentum*, quoties copia esset, populo etiam sine modo mensura-

32) L. 6. C. de navicul.

33) VAILL. p. 197.

34) Inter numos æreos Abb. de CAMPS p. 47.

35) OISEL. tab. 31. n. 8. BEGER. Brand. II, 378.

36) VAILL. p. 386.

37) Idem ær. p. 195.

38) Ibid. p. 206.

39) Apud PATINVM p. 192. OISELIVM, tab. 34. RVBENIVM in Arschot. tab.

39. HEMELARIYM in arsch. tab. 19. HAVERCAMPIVM in reg. Christ. tab. 12. & AGNETHLERVM in dem Schulz. Münztab. II, p. 99. n. 436.

40) MORELL. p. 460. 471.

41) PLINIUS L. 34. c. 8.

42) MEDIOBARBVS p. 264. BEGERVS Brand. II, 686, Memoires de litterature IV, 78. sq.

furaque præbuerit, 43) ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retrahens; & HIC a) interclusos commeatus famemque ingravescentem navibus ex integro fabricatis & 20. fervorum millibus manumissis & ad remum datis sustulerit, 44) b) Ægyptum in provinciæ formam redactam, ut feraciorum habilioremque annonæ urbicæ redderet, fossas omnes militari opere deterferit; 45) c) frumenti populo dividendi præfecturam 46) urbis perpetuam scil. excogitaverit; d) ob magnam quondam sterilitatem venalicias & lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemque servitorum urbe sic expulerit, ut annona tandem convaluerit; e) impetum captum, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret, 47) haud perseveraverit, sed f) ita post temperaverit, ut non minorem aratorum ac negotiantium, quam populi rationem deduxerit; 48) g) congiaria populo frequenter dederit, sed diversæ fere summæ & pueris quoque, h) frumentum in annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo pretio, viritum admensus fuerit, tesserasque numarias duplicaverit; 49) i) menstruas aliquando in urbe pecuniæ frumentique distributiones universo populo viritum fecerit; PHILO *Jud. in legat. ad Cajum*, p. 1015. 50) & denique k) tridui frumento in horreis viso statuerit veneno emori, si e provinciis classes interea non venirent: eis vero advectis, *felicitati ejus salus patriæ est attributa.* 51)

Nihilominus autem nullius *congiarii*, ante NERONEM, nullius *liberalitatis* ante HADRIANVM, nulliusque *annonæ* (nisi Cereris) ante VESPASIANVM, sicuti *illius* quoque non amplius post L. VERVM, *istius* post QVINTILLVM & hujus post CARVM mentio & memoria *numis* celebratur. Cum tamen & congiaria, & liberalitates, & frumentationes, & annonæ curæ &

offi-

43) SVETON. Cap. 26.

44) Idem in Oct. c. 16.

45) SVET. Cap. 18.

46) Conf. ARN. DRACKENBORCHII *Diff. de præf. urbis*, Cap. VII.

47) Conf. AMM. MARCELLINVS L. XXII. Cap. 32.

48) SVET. Cap. 42.

49) SVETON. cap. 41. TAC. *Ann.* I. 2.

50) Conf. quoque DIONIS CASSII L. 54.

51) Sunt verba P. DIACONI in L. VII. *historiæ misc. pag.* apud MVRAT. T. I, col. 52. A.

officia perduraverint, gemmæ, lapides & marmora ea loquantur, panesque (civiles, 52) civici & populares) præter frumentum 53) & ipsius deinceps frumenti loco, inde ab AVRELIANO 54) usque ad IVSTINIANVM, ex alto distributi fuerint, *gradiles* ideo dicti, in Codice Theodosiano adhuc legendi; IAC. GOTHOFREDO, IVLIO CÆSARE HVLENGERO *de tributis & vestig. P. R.* 55) & P. BURMANNO *ibidem*, 56) plurima historicorum loca huc cumulantibus. 57)

In consularibus & gentium familiarumque Romanorum nummis, quos primo loco nominare debuissim, cum multarum spicarum multorumque modiorum *Dea CERES*, ejusve caput, ut in Acilia, Pomponia & Vibia, tum *aratrum*, ut in Iunia, sub capite Fauni, agriculturæ præsidis, Sempronia, & Vibia 58) tum & *modius*, ut in Iulia, Licinia, Livia, Livineia, Norbana & Sestia, tum & *cornu copice*, ut in Æmilia, Antonia, Carisia, Cornelia, Fabia, Fufia, Fulvia, Iulia, Mussidia, Sempronia, Titia, Vibia, tum & *Spica*, 59) fertilitatis Africanæ, ut in Licinia & Siculæ ut in Iulia symbolum, vel generatim, ut in Ælia, Æmilia, Cæcilia, Calpurnia, Cassia, Claudia, Clovilia, Cornelia, Critonia, Eppia, Fuvia, Gellia, Iulia, Licinia, Livineja, Lollia, Mæcia, Marcia, Memmia, Minucia, Neratia, Norbana, Plætoria, Plancia, Roscia, Servilia, Sulpicia, Tullia, Valeria, Vibia, Volteja, tum & *corona spicea*, fertumve spiceum, ut in Iunia, sæpe occurrit. *Modius & duæ spicæ* in Claudia curam *annonæ* diligenter a MARCELLIS habitam signant. Præcipue vero inter consulares & familiarum, velut Calpurniæ & Serviliæ, illi sunt *frumentarii*, qui in memoriam quæsturæ AD FRV.mentum EMV.ndum EX S. C. PISONIS (FRVGI) & CÆPIONIS cusi fuerunt. 60)

Græ-

52) L. *fn.* §. 2. C. *de jure dot.* & L. 12. C. *de hered. institut.*53) L. 1. 2. C. *de frumento urbis Constantinopolitanæ.*54) FL. VOPISCVS *Cap. XXXV.*55) Tub. 4. 1618. *cap. IX.*56) *Cap. III.*57) Add. HE. LINCKII *tr. de panibus civilibus*, *Alt.* 1686, & *Observ. Hal. addit. p.* 343. *sq.*58) In MICH. GOTTL. AGNETHLERI *numophylacio Schulziano*, pag. 185. 263. & 292.59) Scilicet *frumentaria*, L. 7. §. 7. de A. R. D. quæ terra tenetur, L. 13. quibus modis *ususfr. amitt.*60) De quibus vid. SPANHEM. *Diss. X. p.* 155. *sq.*

Græcos & coloniarum nummos non adgredior, varia & egregia licet huc pertinentia sistentes.

Sic pariter silentio penitus nunc prætereo recentioris ævi & modernos omnes numos, qui *frumentarii* vel & *alimentarii* (61) pauperum, puerorum, puellarumque dici possent, uti numus LUDOVICO XIV. anno 1671. dicatus, (62) cujus inscriptio est FAMES PIETATE PRINCIPIS SVBLEVATA.

Vnum vero, quin ea, qua par est, devotissimi animi submissione memorem, temperare mihi profus nequeo. Est ille Vindobonensis numus, in gloriam liberalitatis augustissimi IOSEPHI II. Boiohemi liberatoris a fame & caritate, sive angustia annonæ 1771. cusus. In cujus antica *liberalitas & providentia* IMP. CÆS. JOSEPHI II. CONSERV. BOIOHEM. P. OPT. PROVIDI effigiem pyramidali monumento adligunt. Adsidet tempus *modios* falis & *frumenti* adspiciens, annalibusque inscribens LIBERALITAS AVG. notato insuper anno MDCCLXXI. In postica Imperator Pragam equo vehitur, Romano habitu & more, munificentia, comite ejus alato, prævio Mercurio, mergitem vehente. CALAMIT. PVBL. LEVANDIS. ADVENT. CÆS. PRAG. MVNIFICENT. COMIT. MENS. OCTOB.

Novissimum ejus generis numisma est Excellentissimi *Abbatis Wettenbusani*, *Augustissima* MARIÆ THERESIÆ gratias agentis pro præstitis 1771. subsidiis, contra famem subditorum ejus.

Forfan huc quoque adludit *Sueciæ regis aurea* WASA.

Dabam hæc occasione dissertationis, quam *de interdictis exportationis frumentorum territorialibus*, me suafore erudite scripsit & me præside masculè defendit IO. AVG. REVSS, cui fausta quævis adprecor, Tubingæ die XX. Julii MDCCLXXII.

61) De quibus præter SPANHEM. in Diss. XIII p. 542. sq. & KLOTZII *opusc. nummaria* p. 195. sq. vid. IO. CHR. KVNDMANNI *Schlesische Heimsuchungen Gottes in Münzen*, 4.

62) apud MENETRIERIVM p. 10.

MB-2389

ULB Halle
006 696 97X

3



v. D. 78





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

FREDVS DANIEL
HOFFMANN
CVS TVBINGENSIS
DE
NVMIS
OMANORVM
MENTARIIS

PAVCA QVÆDAM DISSERIT



TVBINGAE
TYPIS FVESIANIS